



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

18. Quid de illorum, qui moriturum iam infantem baptizant trina  
aspersione, dice[n]do: Ego te baptizo in nomine Patris, faciendo vnam  
adspersionem, & Filii, faciendo secundam, & Spiritus Sancti, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

obscure colligunt pastores magna cura & sollicitudine hoc apud populum suum agendum, ut singuli, quoad fieri potest, intelligant necessitatem non solum baptismi, sed & cognitionis istius formæ, & singulorum verborum eiusdem: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

QVÆSTIO XVIII.

*Quid de illorum, qui mortuum iam infantem baptizant trina asperzione, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, faciendo vnam asperzionem, & Filij, faciendo secundam, & Spiritus S. faciendo tertiam?*

Quæstionis explicatio.

**N**ON querimus hic quibus modis debeat fieri ablutio baptismi, an per immersionem, an per asperzionem, an per vnam, an per trinam siue immersionem, siue asperzionem: hæc ex professo disputantur à Theologis apud D. Thomam in Summa, ubi omnes docent indifferenter fieri posse abluionem baptismi, & ab Ecclesia aliquando vno modo, aliquando altero, pro ratione diuersa temporum, locorū & aliarum circumstantiarum vsitatam fuisse, ut patet ex B. (a) Gregorio & aliis. Sed particulatim

*alib. i. Epistolar. epistol. 41. & Conc. Toletan. 4. can. 5.*

M 5 quæri-

quæritur, quid cõsendum de modo baptizandi cum trina asperſione in diœceſi Leodien. paſſim uſitato, quãdo infantes peſte infecti videntur animam agere?

*Reſponſio.*

**N**Eutiquam illo caſu ſeruandus eſt, ſed paſtores in huiuſmodi periculo baptizabũt vnica aſperſione, cum qua totam formam ſtatim abſoluent, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. priore enim modo paſtor exponit puerum duplici eoq; grauiſſimo periculo, i. æternæ damnationis, ſi videlicet puer moriatur in prima vel ſecunda aſperſione, ſi quidem cũ ad ſingulas aſperſiones non proferunt niſi vnã perſonã Trinitatis, puta, ad primã Patris, & ad ſecundã, Filij, ſi interea temporis infans moriatur, moritur ſine baptiſmo, vt ex dictis ſuperiore quæſtione patet. Altero, mortis corporalis, vel ſaltem accelerationis illius: cum enim infans peſte infectus ſit tenerrimus, & cuius minimæ læſioni obnoxius, vix eſt vt poſſint paſtores toties in caput illius aquam infundere abſque aliqua etiam notabili læſione.*

Dices: Quid ſi per trinã moderatã, eamq; paruã, at magna cum cautione adhibitam aſperſionem mors non nihil acceleretur, erit quoque paſtor irregularis?

*R. Eſt*

R. Est casus rarus; demus ita contingere: dico tunc fore irregularem, etiamsi tantum venialis esset aspersio, ut ante ex Paludano contra Sotum ostendimus.

### QVÆSTIO XIX.

*Quid de illorum, qui à longè positi, puta, in ostio domus, vel fenestra, infantem in lecto vel brachijs matris constitutum aspergunt aqua cum recitatione debita formæ?*

Quæstionis explicatio.

**H**Actenus reprobauimus aliquot baptizandi modos, qui visi sunt peccare contra substantialia baptismi, puta, contra materiam, defectu aquæ naturalis certè; vel contra formam, defectu formæ certè & ab ecclesia vsitatæ; Nunc de modis quibusdam baptizandi quæremus, qui peccare videtur contra applicationem debitam vel formæ, hoc est prolationis verborum, vel ipsius aspersiois aquæ, vel vtriusque simul, & quasdam baptismi cæremonias. Et primum queritur, an hic modus ministrandi probandus sit, quo quis, ad vitandū contagionis periculum baptizat aspergendo puerū ex fenestra, vel ex ostio, vel remotiore aliquo loco cū debita formæ prolatione?

*Responsio,*